

Partes capituli sunt quinque:

1. Loti hospitalitas. versibus tribus.
2. Sodomiticus furor in hospites & Lotum, ad vers. 12.
3. Migratio Loti cum suis ex Sodoma in Zoar, ad vers. 24.
4. Eversio Sodoma & vicinarum ciuitatum, ad vers. 30.
5. Lapsus Loti, inde ad finem.

PRIMA PARS CAPITIS.

Hospitalitas Loti.

- 1 Venerunt autem duo illi Angeli Sodomam vespere: & Lot sedebat in porta Sodoma: vidensque eos, surrexit in occursum eorum, & incuruauit sese in faciem super terram.
- 2 Et dixit: En quaeso, Domini mei, diuertite quaeso in domum serui vestri, & pernoctate, & lauate pedes vestros: deinde mane surgentes pergite viam vestram. Et dixerunt: Nequaquam, nam in platea pernoctabimus.
- 3 Et instabat apud eos valde: diuerterunt ergo apud eum, & ingressi sunt in domum eius. Et fecit eis conuiuium, infermentatos quoque panes coxit, & comederunt.

EXPLANATIO.

1. **V**ENERUNT AUTEM DVO ILLI. Haec tenus Loti, postquam ab Abrahamo secesserat, nulla mentio. Nunc iterum memoratur: quia delegerat planiciem Sodomæ, ibique habitabat: ut sciamus, quid eo sit factum in Sodomæ incendio. Quomodo haec tenus ibi vixerit, tacetur. Tamen inter pessimos illos in pietate constantem fuisse colligitur. Narrantur enim de eo bona, quæ fecerit, & quæ à Deo acceperit: licet & mala, quæ infirmitate perpetravit. De exitu eius deinceps nihil: nisi quod pater fuerit Moabitarum & Ammonitarum.

Principio capituli celebratur eius hospitalitas, non dissimilis in ea patruo & præceptoris suo Abrahamo, à quo haud dubie tanta humanitate imbutus fuerat. Circumstantiæ etiam non sunt dissimiles. Excipit Angelos eosdem: sedens in porta venientibus occurrit, reuerenter salutatur, offert hospitium & officia humanitatis: diuertentibus parat conuiuium, ita cœnatur hilariter. Hoc alterum est hospitalitatis exemplum, quo ad similem humanitatem nos inuitari intelligamus, & Apostolus Hebr. 13.

A nos inuitat. Sunt tamen circumstantiæ quædam diuersæ.

PRIMO, Qui prius viri dicebantur, hic angeli vocantur, hoc est, legati Dei, ut sciamus veritatem, non fuisse homines, aut prophetas, sed angelos: viri erant per apparentiam: angeli per naturam. Hinc sumit Apostolus, quod Abraham & Lot angelos hospites acceperint, Heb. 13.

SECUNDO. Ad Abrahamum tres, ad Lotum duo veniunt: Factum id putant, quia Deus se illustrius illi, quam huic patefacere voluerit. Recte quidem. Sed causa historica est in textu: quia tertius in via substituerat cum Abrahamo. Collatio illustrat rei veritatem. Duo ex tribus erant angeli. Tertius Iehoua Filius Dei, qui se Abrahamo reuelauit familiariter, ut vere dicatur vidisse diem eius, Iohan. 8. Discrimen probatum est supra: sed etiam hac historia probatur. PRIMO, Duo à tertio digressi vocantur angeli. Tertius non item. SECUNDO, Non vocantur isti Iehoua, nec כַּמֶּטַח per Kamets sub vltima, ut ille; sed tantum כַּמֶּטַח per Patach. Tertio, Dicunt, se à Iehoua missos